



**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
proprietarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

**González Téllez, Emanuel
Francofurti Ad Moenum, 1690**

Capvt XXVII. Idem. B. quondam Anglorum a Reginæ illustri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](#)

finunt. Ex quo illud etiam evenit inconveniens , ut ipsi monachi quantum ad hoc
judicentur judicio Iudeorum , & qui eis communicant in praedictis maiorem ex-
communicationem incurvant, quām etiam excommunicatis communicando fue-
rant incursuri. Nolentes igitur hāc crebris ad nos clamoribus jam perlata ulterius
sub dissimulatione transire, vobis universis, & singulis mandamus , quatenus hu-
jusmodi sententias in fraudem privilegiorum nostrorum de cātero non feratis;
quia si super hoc ad nos dehūo clamor ascenderit , non poterimus conniventibus
oculis pertransire, quin promulgatores talium sententiarum severitate debitā ca-
stigemus.

N O T A E.

1.

Dūniacensi.) Ita legitur in quinta compila-
tione Honorii III sub hoc tit. cap. 1. sed
rectius in hac sexta legitur Cluniacensi; Cluniacensis
eum monasterium, à quo Congregatio Clu-
niacensis Ordinis D. Benedicti, cent. 5. anno 930.
construxit Guillelmus Due Aquitanus anno 910,
Habuit prioratus, & monasteria sub sua ditione
fere in omnibus Regnis, quorum catalogum re-
fert Ypes in chron. D. Benedicti, cent. 5. anno 930.
de cuius progreſſu & magnitudine plura conge-
ferunt Chropius lib. 2. sacr. pol. tit. 6. Ypes ubi
proxime, & nos in cap. 51 de electrone. Huic mona-
sterio varia, & ampla privilegia concederunt Ro-
mani Pontifices , ut constat ex Bulla Pij IV.
quæ ext. in appendice dicitur cent. 5. inter qua
illud præcipuum fuit, ut monachi Cluniacensis
Congregati excommunicari , aut interdicto
subiecti ab Episcopis ordinariis non posset: sed
Episcopi & eorum Vicarii in fraudem hujus
privilegii sententiam excommunicationis profere-
bant non directe in ipso monachos, sed in-
directe , ita ut qui cum eis communicarent in
molendinis, furnis & alijs locis, ubi pro humana
necessitate monachi convenire solebant, majori

excommunicatione afficerentur , in fraudem ip-
sius privilegii in quo graviter peccabant, non fo-
lum quia quod una via illis prohibebatur, alia af-
sequi intendebant, contra textum in cap. tue, cum
vulgatis, de procurat. verum etiam quia cum illis
monachis se gerebant tanquam cum Iudeis : si-
quidem Iudei, quia excommunicari non possunt
directe, quia extra Ecclesiam sunt, tamen ut ipsi
panitur excommunicantur fideles Catholici
cum ipsis communicantes , ut probavit in cap. de
Iudeis, cap. quant. de usuris. Etiam severius se gera-
bant cum ipsis monachis, quām cum aliis lucis
excommunicatis, liquidem communicantes cum
excommunicatis regulariter minori excommuni-
catione ligantur, cap. significavit, ubi dicimus, de
sent. excom. Ipsi autem majori excommunicatione
feriebant accedentes ad furnos, & molendina po-
forum. Vnde recte Honorius in presenti iubet
Archiepiscopis, & Episcopis, in quorum dioce-
sibus monasteria Cluniacensi monasterio subje-
cta consistunt, ne deinceps simili indirectione ex-
communicatione in praedictos monachos uti-
rentur.

C A P V T XXVII.

Idem. B. quondam Anglorum a Reginæ illustri.

EX parte tua fuit propositum coram nobis, quod nonnulli literati , quos nec
habitū, nec tonsura clericos profitantur, in b. terra tuae jurisdictioni subjecta
degentes, cum deprehenduntur in aliquibus c. forisfactis, ut tuam jurisdictionem
eludant, & debitam pro delictis ultionem evadant, assūmunt, seu etiam resumunt
tonsuram abjectam, seu habitum clericalem, licet anteā pro laicis ab omnibus ha-
berentur; & sic eorum delicta maneant impunita Ne igitur tonsura , vel habitu sic
resumpto malitia foveatur, si tuam jurisdictionem exerceas in hujusmodi de-
linquentes, cum finetonsura, & habitu in delicto fuerint deprehensi, & quanimitate
ducimus tolerandum, cūm malitiis hominum indulgeri non debeat , sed potius
obviari.

N O T A E.

1.

Reginæ.) Ita etiam legitur in quinta compila-
tione, sub hoc tit. cap. 2. & in c. ex parte, de
clericis, ubi similis quæſtio de his clericis in minorib.
bus ordinib. constitutis habitum, & tonsuram
deserentibus, & reassumentibus agitur.

b Terra tuae.) Cenomanensii videlicet urbe,
que ad dotalitū ipsius Reginæ spectabat, ut no-
tavi in dīl. cap. ex parte.

2.

c Foris factū.) Forfacēum, seu forisfactū,
Gallice sumunt pro gravi delicto , ac propriè
quidem pro eo, cuius causa aliquis sit fortis , hoc
est amittat privilegium, vel etiam jus aliquid ex-
gendi generatione, ut sumunt apud Bollandum in
vitis Sanctorum, die 4. Januarū, ibi : illa vero videns
hos panes conversos in lapides , geniculando veniam

ad Deo pharæilde de forefactū suis petuit. Strictè a-
pud Matthæum Parisium anno 1114. ibi:
Catalla eorum, qui sunt in forisfacto Regis. Accipit
etiam pro mulcta pecunaria pro delicto irroga-
ta, ut in legibus Burgorum, quas tulit David pri-
mus ejus nominis Scotia Rex, cap. 42. Forisfactum
in burgo non excedit octo solidi Item cap. 71. Qui
alter faciendo convictus fuerit, dabit plenarium foris-
factum. Et cap. 74. Castigetur per Baillivos burgi
pro forisfacto suo primo, secundo, tertio. Et cap. 88.
Dabit octo solidos ad forisfactum. Inde forisfacere
significat contra leges aliquid admittere , quod
amissione vita, bonorum , vel privilegi soleat
puniri. Carnotensis epist. 173. ibi: Cum predictus
Ivo Rodrocum Dominum suum diffiduciasset, & pre-
dam ejus prior cepisset, & homines suos ea die, quā cap-
tus esset in vinculis haberet, & ad forisfacendum ei-
dem

dem armata manu militum ea die procederet. Notavit Ioannes Vossius de virtutis sermonum lib. 4. cap. 8. & in append. Vnde in praesenti forsitan accipiuntur pro delictis.

Fuerint deprehensi.) Quo casu clerici in minoribus ordinibus constituti non sunt per Ecclesiam defendendi, ut probavi in cap. 8.

C A P V T XXVIII.

a Idem.

SV per specula. Et infra: Sanè licet sancta Ecclesia legum secularium non respuat famulatum, quæ satis æquitatis, & justitiae vestigia imitantur: quia tamen in Francia, & nonnullis provinciis laici Romanorum Imperatorum legibus non contantur, & occurunt raro ecclesiasticae cause tales, quæ non possint statutis canoniceis expediri, ut plenius sacræ paginae insistatur, & discipuli Elisei liberius juxta fluentia plenissima resideant ut columbae, dum in januis scalas non invenerint, ad quas divaricare valeant pedes suos; firmiter interdicimus, ne Parisiis, & in civitatibus, seu aliis locis vicinis quisquam docere, vel audire ius civile presumat: & qui contraria fecerit, non solum à causarum patrocinis interim excludatur, verum etiam per Episcopum loci, appellatione postpositâ, excommunicationis vinculo innotetur.

N O T A E.

a Dem.) Ita etiam legitur in quinta compilazione, sub hoc tit. cap. 3. in cuius scholiis refert Cironius in vulgata editione legi, *Capitulo Parisiensi*, & ceteris Prelatis Parisiis constitutis. Vnde cognoscitur ita etiam legendum esse in cap. super specula, ne clerici, vel monachi, ubi extat alia pars ius constitutionis. Non tamen assentio per docto viro Innocentio Cironio, qui in eo texto affirmavit, etiam ad hanc constitutionem spectare textum in cap. super specula, de magistris; nam constitutio illa misa est Patriarchæ Antiocheno, & ejus suffraganeis; unde non potest textus hic referri ad illam constitutionem. Deinde quia in praesenti & in dict. cap. super, ne clerici, vel monachi, specialiter agitur de studio legali in Academia Parisiensi indulbendo, & ne ius Cesareum in ea profiteretur, ac doceretur, ex ratione in praesenti textu assignata, & alia, quam adduxi in dict. cap. super specula. Unde etiam declinatur constitutionem hanc localē esse, videlicet pro Academia Parisiensi: quod novum non est in iure, ut patet ex dict. cap. quod clericis, de foro compet. cap. 1. de locato, l. 1. §. ult. ff. de censib. notavit Anguanus lib. 2. de legibus, cap. 3. num. 10. 4.

b Famulatum.) Ut probavi in cap. 1. de novoper. nunt.

c Non utuntur.) Ius civile Romanorum plerumque prohibuit in iudiciis, tam apud Gallos, quam apud Hispanos legimus: primum enim temporibus certum est, Gallos jure Romanorum usos fuisse; unde Agathias de rebus Iustinianis, Francos Romanas leges in contractibus & matrimoniorum servare: & constat ex Capitularibus Caroli Calvi apud Pilas cap. 34. ibi: *Salva constitutione legis Romana in eis, qui secundum illam vivunt. Ex Concil. Turon. can. 20. ibi: Quia etiam lex Romana confinit, ut quicunque Deo sacram virginem, vel viduam fortasse rapuerit, si possea eis de conjugione convenerit, capit sententiā feriantur.* Quia est lex 1. Cod. Theod. de raptis virginibus. Postea tamen Carolus Magnus statuit lib. 6. cap. 269. ita: Prohibemus ad negotiorum disputationem, usum legum

D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

Romanarum, que quamvis eloquii polleant, tamen difficultatibus herent. Idem postea firmavit Lotharius lib. 3. legum Longob. cap. 37. Apud Wifigoth. etiam idem cautum fuit in l. 9. & 10. tit. 1. lib. 2. ibi: *Alienis legibus ad exercitium utilitatis imbui, & permitimus & optamus; ad negotiorum vero disputationem & resultamus, & probabemus: quamvis enim eloquii polleant, difficultatibus herent, unde nolamus, five Romanis legibus, five aliis constitutionibus à modo amplius convexari.* Prosequitur juris Romaniani naufragium & restitucionem apud Francos, & Gothos Cironius in praesenti, & lib. 5. obs. cap. 4. & 5. Apud nos expresse cautum est, ne in iudicis leges civiles ad causarum decisionem expendantur, l. 15. tit. 1. partit. 1. l. 6. tit. 4. partit. 3. ibi: *Por las leyes de este libro, y no por otras. Et l. 1. Tauri docuerunt Gregorius Lopez, & Burgos de Paz, & Gomez in eisdem legibus. P. Suarez de legibus lib. 3. c. 8. Ostialdus ad Donel. lib. 1. cap. 16. litera E.* Unde recte Honorius III. in praesenti refert, leges Romanorum apud Francos in usu non esse.

d Interdicimus.) Quam juris civilis professionem Pontificem in praesenti prohibere potuisse, ait Cironius hic, quia Academæ sunt ecclesiasticae; & ideo in eis plenam dispositionem Pontiffex habet. Sed contrarium, immo Academias à Principibus secularibus constructas, & à Pontifice confirmatas, pro secularibus haberet, latè probarunt D. Alphonsus de Escobar collega noster in tract. de Pontifici. jurisdict. cap. 21. Pater Mendo de jure academico, quest. 8. & ipsam Academiam Parisensem mixtam esse, secularē, & ecclesiasticam, probat Chopinus de Domino Regis Francie, lib. 3. tit. 27. num. 3. Quare alia validiori ratione credo Honorium III. potuisse in Academia Parisensi prohibere studium juris civilis, videlicet, quia cum ob ejus professionem negligeretur, & omitteretur sacrae Theologiae studium, ut retuli in cap. 5. ne clerici vel monachi; ideo juxta potestatem, quam habet in temporalibus in ordine ad supernaturalia, ut facilius floret studium sacræ Theologiae, recte potuit Honorius pro tunc interdicere juris Cesarei professionem.